

Obj. 3. contra implicantiam assertam. Hæc D. Thom. doctrina fuit olim damnata ab Academia Parisiensi: ergo. R. hanc condemnationem, inconsideratè factam, solemniter revocatam fuisse ann. 1725. a Stephano Episc. Parisiensi de consensu Decani, Capituli, & aliorum piorum doctorum, doctrinamque S. Thom. variis encomiis celebratam.

Obj. 4. Datur individuatio in Angelo sine materia: ergo falsum est, materiam esse principium Individuationis. R. D. Ant. Datur individuatio unica in Angelo: C. Ant. individuatio multiplicata, N. Ant. ad cuius sensum, D. Conseq. Non ergo intendimus, materiam esse principium individuationis præcisè, & generalitèr loquendo, sed individuationis multiplicatæ intrâ eandem speciem. Quamvis ergo forma, quæ est receptibilis in materia, individuatur per materiam; illa tamen forma, quæ non est receptibilis in materia, sed est forma completa per se subsistens, ex hoc ipso individuatur, quod non potest recipi in aliquo; sic enim fit incommunicabilis, & de uno solo prædicabilis, quod est ipsamet ratio individuationis: at verò ad individuationem multiplicabilem numericè non sufficit incommunicabilitas nature, sed requiritur principium fundans divisionem substantiæ sine divisione seu distinctione formali speciei; quod non potest esse aliud, quam materia signata quantitate, ut dictum est.

Obj. 5. Potest Deus annihilare, & postea reproducere Angelum ejusdem speciei; atqui iste Angelus reproductus non foret idem numero cum priore annihilato; foret enim diversa actio, consequenter diversus terminus: ergo solo numero distinctus intrâ eandem speciem. R. N. Min. & ejus probationem: esset enim ex parte Dei eadem actio reproductiva, & productiva, hæc enim est immanens, & æterna continens eminentèr omnes actiones temporales, undè esset idem numero Angelus reproductus.

Inst. Juxta S. Thom. in 4. d. 44. q. 1. art. 1. quæstionc. 2. ad 3. si anima non maneret incorrupta, sed simul cum corpore destrueretur, idem homo non resurgeret; atqui annihilato Angelo nihil ex ipso remanet: ergo, R. N. Conseq. Disparitas est, quod ad resurrectionem requiratur existentia partis hominis, qui resurgit: undè, si totus homo annihilatur, non possit idem resurgere, posset tamen idem reproducti, sicut Angelus; quia reproductio est iterata productio, quæ, cum sit ex nihilo, non exigit, quod aliquid remaneat ejus, quod debet reproducti.

Obj. 6. Accidentia spiritalia Angelorum sunt solo numero distincta, ut duo actus intellectus circa idem objectum, duo lumina gloriæ, &c. ergo & ipsi Angeli. Item duæ animæ ratio-


nales, quantumvis immateriales, solo numero differunt: ergo & duo Angeli. R. Ad 1. N. Conseq. Disparitas est, quod accidentia non individuatur a sua entitate, sicut substantiæ, sed per ordinem ad subiectum, sive numero sive specie distinctum; nihil enim obest distinctione specifica subiectorum distinctioni numericæ accidentium, ut patet in albedine ovi, & nivis. Ad 2. N. paritèr Conseq. Disparitas est, quod Angelus sit forma completa per se subsistens, a materia, & ab ordine ad illam prorsus absoluta; anima autem est forma incompleta dicens ad corpus ordinem, per quem individuatur.

Inst. Anima rationalis est res substantialis, & ad se dicitur: ergo non potest individuari substantialitèr per ordinem ad aliud. R. D. Conseq. Non potest individuari per ordinem prædicamentalem ad aliud, C. per ordinem transcendentalem, N. quia, licet substantia dicatur, tamen substantia incompleta, & partialis, qualis est anima, non est ad se purè, & completè, sicut substantia completa, sed dicit ordinem transcendentalem ad aliam partem, & ad totum, cujus est pars, etsi substantialis.

Obj. 7. Natura Angelica est capax plurium subsistentiarum, seu personalitatum. Potest enim persona divina assumere naturam destruendo ejus subsistentiam, & iterum eam dimittere; qua dimissa, resultaret altera subsistentia distincta numero a prima: ergo est etiam capax plurium individuationum. Prob. Conseq. Subsistentia est terminus individuationis: ergo. R. N. Conseq. Ad prob. N. iterum Conseq. Rationem negati subministrat ipsa objectio; quia scilicet subsistentia est terminus, & non principium individuationis, & idè non adfert secum pluralitatem individuorum, sed sequitur conditionem suppositi, in quo est. In casu ergo, quod persona divina assumeret naturam Angelicam, & assumptam dimitteret, succederent sibi distincte subsistentiæ respectu unius, & ejusdem individui, non diversorum.

Obj. 8. Nihil implicat, quin Deus aliquid possit supernaturalitèr addere substantiæ Angelorum, quod sine materia faceret distinctionem numericam: ergo. R. N. Ant. quia istud supernaturalitèr additum foret extrinsecum substantiæ Angelicæ, quam supponeret constitutum: principium autem multiplicationis numericæ est necessariò intrinsecum, ut dictum est. Undè istud superadditum foret, & non foret principium multiplicationis numericæ, quod implicat.

Plura circa præsentem materiam videri possunt in Metaphysica de principio individuationis, & in Logica de universalitate Angelica.



DISSERTATIO VI.

DE LOCO, ET MOTU LOCALI ANGELORUM.

D. Thom. Quest. 52. & 53.

ARTICULUS I.

De loco Angelorum.

Ante omnia præmitto, incorporalia non esse in loco, modo aliquo nobis noto, & consueto, secundum quod dicimus corpora propriè esse in loco: sunt tamen in loco substantiis spiritalibus convenienti, qui nobis plenè manifestus esse non potest. (In 4. d. 45. q. 1. ad 1.)

Esse in loco dicitur quadruplicitèr, circumscriptivè, diffinitivè, sacramentalitèr, & ubique. Esse in loco circumscriptivè est locatum sic a loco circumdari seu circumscribi, ut totum locatum correspondeat toti locanti, & quælibet pars locati cuilibet parti locantis, ut liquor in vase. Aliquid esse in loco diffinitivè est illud ita determinari ad unum locum, ut illo quasi finiatur seu definitur, nec possit simul, & semel alium locum adequatum occupare. Esse in loco sacramentalitèr est proprium corpori Christi in Eucharistia, & est esse sub speciebus panis, & vini ad modum substantiæ spiritalis; sic tamen ut possit simul esse alibi, si panis, & vinum alibi consecrentur. Esse ubique intelligitur ex terminis.

(Hic q. 52. art. 1. o.) Suppono 1. Angelos esse aliquo modo in loco. Constat ex Scriptura, quæ refert Angelos circa nos operari immediatè, se movere de loco ad locum, & esse in certis locis. Sic Genes. 18. & 19. dicitur, Angelos venisse ad Abraham, & Loth. Judic. 2. Angelum ascendisse de Galgalis ad locum flentium. Tob. 8. Raphael Angelus apprehendit demonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti. Luc. 2. Disces-

serunt ab eis Angeli in Calum. Matth. 28. Angelus Domini descendit de Cælo, et accedens revolvit lapidem. Act. 12. Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo, percussioque lateræ Petri, excitavit eum. Apocal. 12. Neque locus inventus est eorum amplius in Cælo. Juxta Apost. Ephes. 6. quidam demones sunt in aere, & idè vocantur Rectores tenebrarum harum, et spiritalia nequitiæ in calcestribus. Et alibi plures. Et Ecclesia in Collecta Completorii, Angeli sui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant. Idem docent communitèr SS. Patres, Athanas. Ep. ad Serap. Bas. de Spiritu S. c. 16. Greg. 2. moral. c. 2. Damasc. de fide c. 3. & alii: ita ut opinio contraria videatur parum rata in fide; imò, quatenus negaret Angelos immediatè operari circa aliquod corpus, videtur hæretica, juxta Auctorem (In 1. d. 37. q. 3. art. 1.) dicentem: Hæc opinio hæretica est, quia secundum fidem nostram ponimus Angelos immediatè circa nos operari. (Ibid.) Suppono 2. Angelos non esse in loco circumscriptivè, quia, cum sint puri Spiritus, careant quantitate molis, quæ est ratio locandi circumscriptivè. Undè, quando Greg. 1. 2. moral. c. 3. & Damasc. 2. de fide c. 3. dicunt, Angelos loco circumscribi, sumunt circumcriptionem latè, & generalitèr per terminationem seu definitionem, quia sic sunt in uno loco, quod ibi terminentur seu finiatur, nec possint esse simul in alio.

Suppono 3. contra Durandum, Angelos non esse ubique, quia Scriptura refert eos sic esse in uno loco, quod non sint in alio, Apocal. 12. de malis Angelis: Neque locus inventus est eorum amplius in cælo; & alioquin cælum repleteretur demoniibus. Adde, Angelos non esse in loco nisi per operationem, ut di-

dicemus: non possunt autem simul ubiquè operari, cum eorum virtus sit intra certos fines limitata. Tandem esse ubique, est proprium divinitatis. Undè, quando quidam Patres, ut Tertull. Greg. Nazianz. & alii videntur innuere Angelos esse ubique, intelligunt esse ubique moralitèr, & fermè æquivalentèr; quia possunt esse citissimè, ubi volunt. Quantum ad esse sacramentalitèr, non est hic quæstio.

Restat (Ibid. & hic. cit.) ergo, Angelos esse diffinitivè in loco secundum substantiam. Addo, secundum substantiam; quia, licet Angeli sint in loco per operationem, ut môx dicam, non tamen sola eorum operatio est in loco, sed etiam substantia: sicut, licet corpus sit in loco circumscriptivè per quantitatem dimensionam, non tamen sola quantitas est in loco, sed etiam substantia corporis: neque unquam contrarium dixit S. Thom. uti quidam ei falsò imposuerunt. De quo vide Sylviuum hic.

His præmissis, & suppositis tanquam communitèr receptis; Quæstio est, non parum controversa, per quid Angeli sint in loco? Pro quo observandum est, ad hoc ut aliquid sit in loco quatuor concurrere. 1. Subiectum, quod ponitur in loco. 2. Ratio, per quam tangit locum, & in eo ponitur. 3. Præsentia, seu ubi, quod est modus relatiuus in subiecto locato ex ejus conjunctione cum loco. 4. Relatio mensuræ ad mensuratum in loco circumscriptivo, vel agentis ad passum, motoris ad mobile in loco diffinitivo. Sic corpus meum est subiectum locatum, quantitas mei corporis est ratio, per quam tangit locum, aerem scilicet ambientem, & est in eo, ex quo resultat præsentia seu ubi mei corporis ad locum, & relatio loci mensurantis ad corpus mensuratum.

Quæstio est igitur, quæ sit ratio, per quam Angeli tangunt locum, & sunt in illo: sicut si quererem, quæ sit ratio, per quam meum corpus tangit aerem ambientem, & est in illo, quam dixi esse quantitatem dimensionam. Undè punctum difficultatis non attingunt, qui respondent Angelos esse in loco per præsentiam, seu ubicationem; nemo enim negat esse sic in loco formalitèr: sed assignanda est ratio, per quam casualitèr proximè habent istud ubi, sicut ad ubi circumscriptivum assignamus quantitatem molis. Scotistæ dicunt, Angelos esse in loco ratione suæ substantiæ per voluntatem loco applicatæ. Vasquez, per aliquam unionem Angeli cum corpore libera ipsius Angeli voluntate productam, antequam in eo operetur. S. Thom. & omnes Thomistæ, per operationem virtualitèr transeuntem, quæ in Angelo, utpote substantia immateriali, est duplex, scilicet intellectio, & volitio, quæ sunt secundum se formalitèr immanentes; sed virtualitèr transeuntes, quatenus aliquos effectus producant ad extra. Intellige autem hanc sententiam præsertim de loco connaturali. Dicitur locus connaturalis ille, ad quem Angelus per liberam voluntatem se applicat, quemque proximè sibi subjicit; violentus e contra, cui inivitus alligatur, & indè impeditur; ne alibi operetur, & existat.

Dico: Angeli sunt in loco saltèrn connaturali per operationem virtualitèr transeuntem. (Hic q. 52. art. 1. o. in 1. d. 37. art. 1. & 2. & alibi.) Prob. 1. Per id Angelus est in loco, per quod realitèr tangit locum; atqui non tangit realitèr locum, nisi per operationem virtualitèr transeuntem: ergo. Maj. est certa, tum ab exemplo corporum, corpus enim dicitur esse in loco per quantitatem, quia per illam tangit locum; tum ratione, quia esse in loco est esse ei physicè præsens, & indistans; consequenter realitèr ipsum tangere. Prob. Min. 1. Duplex est contactus, unus propriè dicitur, qui est quantitatis dimensionis, & hic non competit Angelo; alter impropiè dicitur, qui est quantitatis virtutis, nempe ejus actus, seu operatio virtualitèr transiens, qua corpus seu locum sibi subjicit, & facit a se dependere: ergo. 2. Per id Angelus tangit locum, & fit illi præsens, per quod occupat locum modò majorem, modò minorem, modò indivisibilem; atqui id habet per solam operationem virtualitèr transeuntem, quæ cum sit libera modò ad magnum, modò ad parvum, modò ad indivisibilem locum terminatur; quamvis enim hæc operatio angelica sit in se & ex parte Angeli indivisibilis, est tamen virtualitèr, & ex parte termini divisibilis.

Prob. 2. impugnando alios dicendi modos. Substantia Angeli non potest esse illi ratio formalis essendi in loco, etiamsi per liberam voluntatem applicata, ut volunt Scotistæ; neque quidam modus unionis præviæ ad operationem productus, ut vult Vasquez: ergo sola operatio virtualitèr transiens. Taceo ubi Suarez; quia, ut dixi in prænotaminibus, non attingit punctum difficultatis.

Prob. 1. pars Ant. 1. Substantia corporea non est per se ratio proxima fundans ubicationem localem in corporibus: ergo nec substantia spiritalis in substantiis spiritalibus. Patet Conseq. quia esse propriè, & strictè in loco convenit solis substantiis materialibus, impropiè autem substantiis immaterialibus. Theol. Billuart. Pars Prima.

bus. Si ergo substantia corporea non sit per se ratio proxima fundans ubicationem in corporibus, a fortiori nec substantia spiritalis in substantiis spiritalibus. 2. Si Angelus esset in loco, eumque tangeret per suam substantiam, non posset occupare modò majorem, modò minorem locum, quia substantia Angeli est invariabilis, nec crescit, aut minuitur; atqui falsum Consequens: ergo & Ant. Si dicas, quod libera voluntas Angeli applicet ejus substantiam, modò majori, modò minori loco: contra est, quod ista voluntatis applicatio non minuat aut auget substantiam Angeli, siquæ ea substantia sub hac voluntate non potest esse ratio majorem vel minorem locum occupandi. Potest quidem facere voluntas, quod Angelus sit hic potius, quam illic; sed facere non potest, quod manente invariata ratione locandi, modò majorem, modò minorem locum occupet: sicut corpus non potest modò majorem, modò minorem locum occupare, nisi secundum quod minuitur aut augetur quantitas dimensionis, quæ est ipsi ratio locandi.

Prob. 2. pars Antecedentis. Iste modus unionis inter locum & locatum in Angelis est planè fictitiuus: ergo. Prob. Ant. Non est unio accidentis cum subiecto, neque nature cum supposito, neque materiæ cum forma, neque partis cum parte, ut de se patet; & probatur ex absurdo, quod indè sequeretur, nempe ex Angelo, & corpore locante fieri aliquid unum totum physicum, quale resultat ex dictis unionibus, quo nihil absurdius cogitari potest; atqui præter has uniones non est alia assignabilis, quam agentis ad passum, seu motoris ad mobile, quod nos intendimus, & quod negat Vasquez: ergo. 2. Iste modus unionis, si detur, liberè ab Angelo productur; non enim Angelus illi potius quam isti loco necessario, & coactè alligatur, alioquin non esset locus connaturalis, sed violentus: ergo, velint nolint, beneficio operationis Angelus est in loco.

Dixi: In loco connaturali; quia Thomistarum communis opinio est, Angelos esse in loco violento, non per operationem, sed per passionem; quia ratio locandi in substantiis spiritalibus est contactus virtutis locabilis, & loci, ut dictum est: sicut autem Angelus per operationem tangit corpus, in quod agit, illud sibi subjiciendo, ita per passionem tangitur a corpore ut instrumento virtutis superioris, & ipsi subjicitur, atque fit præsens. Neque hoc est mutare rationes formales existendi in loco, sed est illas proportionatè assignare: sicut dicimus, corpus Christi esse in Cælo per contactum quantitatis extensivæ, in Sacramento indivisibilitèr per consecrationem.

Ceterum plures existimant, Angelos etiam in loco violento, ut demones in Inferno, operari plus aut minus, secundum quod plus aut minus alligantur, & prohibentur, ne hic aut illic operentur; si enim il, qui sunt in aere, & torquentur igne Inferni, permittuntur nihilominus operari; quidni existentes in Inferno? Quid autem illic agunt? agunt in alios se invicem ex-cruciando, agunt in animas reproborum eas torquendo ut instrumenta divinæ justitiæ.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Angeli sunt in loco, in quo nihil operantur operatione virtualitèr transeunte: ergo operatio non est ipsis ratio existendi in loco. Prob. Ant. multis exemplis. 1. Angeli ab instanti suæ creationis sunt in Cælo Emyreo; atqui nihil agunt in illo, actione virtualitèr transeunte, quid enim ibi agerent? 2. Angeli Custodes sunt ordinariè nobis præsentès, nec tamen continuò erga nos agunt. 3. Idem dicendum de animabus in Cælo, & in Lymbo; quia eadem videtur ratio de animabus separatis, ac de Angelis, quantum ad rationem locandi: ergo.

Antè responsonem præmitto, quod, quamvis omnes Thomistæ doceant cum S. Thom. Angelos esse in loco per operationem, non omnes tamen hanc operationem eodem modo intelligunt. Quidam per operationem intelligunt dumtaxat applicationem virtutis ad operandum, etiam effectum non secuto, quæ suo modo potest dici operatio: sicut, si virtutem meam applicarem ad movendum grave pondus, quod, quia nimium grave esset, non moveretur, diceret tamen operari circa illud: sic, inquit, Angeli sunt in loco per operationem, quæ nihil est aliud, quam ipsa applicatio suæ virtutis alicui loco ad operandum, quamvis non sequatur effectus, sive quia Deus non vult, sive propter aliud, sive quia non applicant suam virtutem tali corpori ea intentione, ut sequatur motus, sed tantum ut sint in illo loco. Fundanturque tum in ratione, quia videtur, quod virtus debeat prius applicari loco vel corpori, quam in illud agat; tum in D. Thom. 1. quia S. Doctor hic art. 1. 2. & 3. explicat præsentiam Angeli in loco per applicationem virtutis suæ ad locum. 2. Quia quodlib. 1. art. 4. dicit: Si quis vult virtutis contactum operationem vocare, propter hoc quod op-

operari est proprius effectus virtutis; dicitur quod Angelus est in loco per operationem; ita tamen quod per operationem non intelligatur sola motio, sed quaecumque virtus, qua sua virtute se corpori unit, presidendo, vel continendo, vel quocumque alio modo. Hæc sententia tribuitur Cajetano, Capreolo, Argentinæ, Nazario, eamque amplectitur doctissimus Sylvius in hunc art. pro qua vide etiam Serra hic art. 2. ad 4. Ea autem, posita evanescit obiectio. Angeli enim sunt in Cælo; quia, licet nihil in eo operentur effectu secuto; tamen illud virtute sua contingunt, quatenus illi suam virtutem applicant, & ea applicatione dicuntur operari, suntque in proxima dispositione ad operandos effectus, quos Deus jussit. Idem dicendum de Angelis Custodibus, & de animabus in Cælo, & in Lybbo. Imò sic explicari potest, quomodo Angeli sunt in loco violento quatenus scilicet, compellente Deo, eorum virtus applicatur illi loco contra eorum voluntatem, ita ut sint in potentia proxima ad operandum illic, quomodo non sunt ad operandum alibi, quamdiu ibi detinentur.

Alii verò Thomistæ intelligunt S. Thomam de operatione propriè dicta effectu secuto. Quia S. Doct. in 1. d. 37. q. 3. art. 1. diserit asserit, quod Angelus, & qualibet alia substantia incorporea, non potest esse in corpore, vel in loco, nisi per operationem, qua effectum aliquem in eo communitat: Et infra: Angelus est in loco, in quantum operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum, vel lumen, vel aliud hujusmodi. Et alibi similiter, Hancque operationem propriam dicunt à S. Doct. intelligi per applicationem virtutis; quia in Angelis non prius applicatur virtus, quam operetur, sed operando applicatur: in quo differunt agentia spiritalia à corporeis. Hæc enim, cum habeant virtutem agendi pendente à quantitate dimensiona, necesse est, quod prius per suam quantitatem applicentur loco, quam operentur in illo. At vero agentia spiritalia, cum non habeant aliam quantitatem, quam virtutis, non indigent ut eam exercent prius applicari, & commensurari loco, sed eam exercent & operando in illo, eam illi applicant. Ad locum ex Quodlib. 1. respondent, S. Thomam, quando dicit per operationem, qua Angelus fit præsens loco, non intelligi solam motionem, sed quancumque unionem, non excludere operationem propriè dictam, sed tantum velle, quod illa operatio non debeat necessariò esse motus localis, quem intelligit per motionem, sed sufficere quancumque aliam actionem, qua se corpori unit, & applicat, etiamsi non sit motus localis, conformiter ad id quod dicit in 1. d. 37. cit. Angelum esse in loco, quatenus operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum, vel lumen, vel aliud hujusmodi. Unde, quando quodlib. cit. addit, Angelum esse in loco per præsentiam, intelligit præsentiam actualem, non habitualem.

Hæc sententia videtur communior inter Thomistas; juxta quam, ut objectioni satisfaciat, observandum proponunt in primis illius defensores, quod cum natura Angeli, & Cæli Empyreæ, atque animarum separatarum non sit nobis plene cognita, mirum non sit, si plene assequi non possumus, quid illic operentur, si quidem in ipsis rebus corporeis, & visibilibus, v. g. in explicandis mirabilibus operationibus tot plantarum, & lapidum cæcitiatus; ideoque non debeat nobis esse pudor imitari modestiam Aug. qui 3. de Trinit. cap. 10. de miraculis, & operationibus Angelorum disserens, dicit: *Mihi omninò utile est ut meminere virtutum mearum, fratresque meos admonere, ut & ipsi meminerint suarum, ne ultra quam tutum est, humana progrediatur infirmitas. Quemadmodum enim hæc faciunt Angeli, vel potius quemadmodum Deus hæc faciat per Angelos suos, nec oculorum acie penetrare, nec fiducia rationis evincere, nec prospectu mentis comprehendere valeo, ut tam certus hic loquar ad omnia, que requiri de his rebus possunt, quam si essem Angelus, aut Propheta, aut Apostolus.* Hoc præmisso,

Respondent, posse rationabiliter dici Angelos duo operari in Cælo Empyreæ. Primum est lumen, quo perficitur innatus splendor Empyreæ: idque conformiter S. Thomæ in 1. cit. & variis testimoniis Scripturæ, quibus quedam loca dicuntur sensibiliter illuminata ab Angelis: sic Act. 12. *Angelus Domini assistit, & lumen refulsit in habitaculo carceris.* Et Matth. 28. *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur.* Quamvis enim Angelus non possit immediatè producere qualitates alterativas, v. g. calorem aut frigus, sed tantum applicando activa passivis; bene tamen lucem, ut docet S. Th. cit. in 1. Et ratio suadet, tum quia lux est qualitas cælestis, & magis pertinens ad qualitates intentionales; tum quia est suprema qualitas corporearum: (Infr. q. 100. art. 3.) supremum autem naturæ inferioris attingitur à natura superiori.

2. Angeli operantur in Cælo Empyreæ, ut perfectius & efficacius influant perpetuam, & stabilitatem convenientem in omnes res inferiores. (Infr. q. 66. art. 3. ad 2. & quodlib. 6. art. 19.) Sicut enim supremi Angeli, qui assistunt, habent influentiam super medios & ultimos, qui mittuntur, quamvis

ipsi non mittantur; ita Cælum Empyreum, quamvis non moveatur, influat rebus, quæ moveantur, stabilentur, & permanentiam convenientem in suo esse: quod ut efficacius, & perfectius præstet, Angeli jununt, & operantur in eo. Enimvero totum Universum est unum unitate ordinis: hæc autem unitas ordinis attenditur secundum quod ordine quodam regantur corporalia per spiritalia, & inferiora corpora per superiora: sicut ergo hæc unitas ordinis exigit, quod Cælum Empyreum influat in inferiora, ita exigit quod Angeli influant in Cælum Empyreum.

Inst. 1. Cælum Empyreum creatum fuit à Deo cum debita perfectione: ergo in sua creatione recipit totam lucem, & totam virtutem influendi, quam exigit. 2. Si tot legio Angelorum lumine corpuscetur Cælum Empyreum, emitteret ad nos suos radios, sicut Sol & astra. 3. Influxus Cæli Empyreæ, cum non moveatur, & infuat stabilitatem in inferioribus, est uniformis, nec mutationi obnoxius; atque, si penderet ab influxu Angelorum, variaretur; nam Angeli, qui ante casum influabant, post casum non amplius influerunt; qui mittuntur ad ministerium hominum, quamdiu in illo occupantur, non influunt; dum redeunt in Cælum, influunt: ergo, R. ad 1. D. Conseq. Ergo Cælum Empyreum in sua creatione recipit totam lucem & virtutem, quam exigit in suo ordine, & secundum se consideratum, C. consideratum, ut pars univ. ordinata ad alias partes, quibus subordinatur, N. sicut enim ipsimet Angeli quicunque sunt creati in perfectione debita, ipsis in suo ordine, & secundum se consideratis, attamen interiores superioribus subordinantur, ab illis illuminantur, & perficiuntur; ita Cælum Empyreum respectu Angelorum. (Infr. q. 66. art. 3. ad 4.) Ad 2. N. Sequelam; quia Cælum Empyreum non habet lucem condensatam, ut radios emittat, sicut corpus solis, sed magis subtilem; & ideo sphaera ignis propriè suam subtilitatem non videtur à nobis. Ad 3. N. Min. Quia, quamvis sit varietas influxus ex parte Angelorum, nulla tamen est ex parte Cæli: quia, hoc ipso quo Angeli mali ceciderunt, influxum eorum supplerunt boni Angeli; & nunc, dum ii, qui occupantur circa homines, sunt extra Cælum, pariter supplet ii, qui remanent, & prioribus redeuntibus se retrahunt, atque illis locum relinquunt.

Quod diximus de Angelis quoad Cælum Empyreum, dicendum est de animabus beatis; quia, cum in statu separationis se habeant sicut puri spiritus, concurrunt sicut Angeli ad illam lucem, & illum influxum Cæli Empyreæ, idque sive virtute naturali, ut quidam volunt, sive, ut dicunt alii, virtute qualitatium gloriæ. Quantum ad Angelos Custodes, quamdiu sunt circa nos, continuò operantur, sive malas cogitationes reprimendo, sive bonas suggerendo, sive pericula tam spiritalia, quam corporalia, quæ propè sunt inhæta, arcendo, aliave multa: (Infr. q. 113. art. 6. ad 3.) quando autem nos interdum derelinquunt loco, non tamen derelinquunt quantum ad effectus custodiæ; quia etiam cum sunt in Cælo, cognoscunt, quid erga nos agatur, nec indigent mora temporis ad motum localem, sed statim possunt adesse. Quantum ad animas Patrum in Lybbo, si nihil illic operantur, quod nobis esse ignotum, erant in eo per passionem, quatenus definebantur virtute superiori in illo loco tanquam in carcere, non penali, sed honorario; quia non permittebantur inde exire, & sic erant ibi quasi vincæ.

Obj. 2. Prius est, Angelum esse in loco, quam operari in loco: ergo non est in loco per operationem. Prob. Ant. Prius est Angelum esse simpliciter, quam operari: ergo prius esse in loco, quam operari in loco. Prob. Conseq. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet secundum quid ad secundum quid: sic quia albedo requiritur simpliciter, ut aliquid sit album, ita requiritur albedo secundum quid major aut minor, ut aliquid sit album secundum quid magis aut minus: ergo. (Quodlib. 1. art. 4.) R. N. Ant. ad prob. N. Conseq. ad prob. D. Axioma: sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet secundum quid ad secundum quid in eodem genere, ut in exemplo posito, C. In diverso genere, N. quamvis enim, ut aliquid sit album simpliciter, requiratur quod sit quantum; ut tamen sit magis album, non requiritur quod sit magis quantum; ex duobus enim equaliter quantum, unum potest esse magis album, quam aliud. Esse autem, & operari sunt in diverso genere. Unde, licet esse simpliciter sit prius, quam operari simpliciter; non tamen sequitur, quod esse in loco sit prius, quam operari in loco, quando nempe operatio est ratio locandi ut in Angelis: sic, licet sit prius esse corpus, quam tactus, non tamen est prius esse corpus in loco, quam tangere; sed e contra, prius est tangere locum, quam esse in loco, quia est in loco per tactum. Intellige tamen de prioritate virtuali, & à quo, non reali, & in quo; quia eodem instanti temporis, quo corpus tangit locum, est in loco: similiter eodem instanti, quo Angelus operatur, est in loco.

Inst. Approximatio agentis ad passum est unum ex prære-

qui-

quisitis ad agendum: unde etiam Scriptura de ipsis Angelis dicit Matth. 4. *Angeli accesserunt ei, & ministrabant ei;* ergo Angelus prius est præsens loco, quam operetur in illo. R. D. Ant. Approximatio agentis ad passum est prærequisita ad agendum in agentibus corporeis, C. In agentibus incorporeis, N. Requiritur eadem, sed non prærequiritur, quia habetur per ipsam operationem. Disparitas data est in solutione præcedentis argumenti.

Ad Scripturam, & ad quosdam SS. Patres, qui eodem modo loquuntur, R. Angelos verè accedere, ingredi, &c. operando in locis, per que transeunt; vel Scripturam & Patres loqui de præsentia ordinis & in actu 1. quatenus Angelus per judicium practicum dirigit virtutem suam exercendam tali tempore, tali loco, non de præsentia coexistentis, & in actu 2. vel tandem dicendum, Scripturam & Patres esse accommodare modo nostro concipiendi res spirituales ad modum rerum corporearum.

Obj. 3. ab inconveniendis. Si Angelus esset in loco per operationem virtualiter transeuntem, sequitur 1. quod si cessaret ab omni operatione virtualiter transeunte, & vellet solum contemplari, quod indubie potest, nullibi esset; quod videtur magnum absurdum. Sequitur 2. quod Angelus, qui movet primam sphaeram, cum illum totam moveat, sit in tota sphaera; quod nullus concedit. Sequitur 3. quod Angelus nunquam posset quiescere in loco. R. ad 1. hoc, quod magnum inconveniens reputant adversarii, nullum reputari à S. Th. (In 1. d. 37. q. 3. art. 1. ad 4.) qui idem argumentum sibi proponens illic sic respondet: *Ad quartum, dicendum, quod hoc non reputo inconveniens, quod Angelus sine loco non possit esse, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet: nec est inconveniens, ut tunc nusquam vel in nullo loco esse dicatur; sed hoc tamen non est imaginabile, quia imaginatio continuum non transcendit.* Intelligis ergo, in his & similibus corrigendum esse imaginationem per rationem. Sic non est imaginabile corpus sine figura, & tamen & ratio & fides dicunt posse dari divinitus. Similiter itaque, licet imaginatio non capiat aliquam substantiam existere & non esse in loco, ratio tamen dicit, quod, si auferatur ratio essendi in loco, quæ est contactus quantitatis vel molis, vel virtutis, in nullo loco erit. Et sane, si Angeli creati fuissent ante mundum, ut plures Patres Græci opinati sunt, extitissent equidem, & tamen nullibi fuissent nisi in solo Deo. Ut tamen imaginatio aliquatè sublevaratur, potest intelligi aliquid esse in loco dupliciter, formaliter, & materialiter. Formaliter, quando est intra superficiem corporis ambientis cum positiva præsentia ad istud corpus, & positiva distantia ab aliis corporibus, quod contingit per contactum quantitatis, aut virtutis. 2. Materialiter, quando est in loco absque ullo contactu aut conjunctione positiva ad illum; perinde ac si nullus esset locus neque præsens, neque distans positivè, sed negativè, id est, non distans, ita ut sit potius res in re & pars in toto, quam locum in loco: sic esset aqua in vase, ablata quantitate: & sic dici potest, quod Angelus, si non operaretur, esset in loco materialiter, quia esset in mundo ut pars in toto; non esset tamen formaliter in aliquo loco. (Hic q. 52. art. o.) Ad 2. N. Sequelam; quia Angelus non movet totam sphaeram applicando toti sphaeræ suam virtutem motricem, sed uni parti tantum, quæ mota movet aliam, & sic consequenter. Dicimus autem, Angelum esse in loco per applicationem virtutis operantis, non per diffusionem effectus à se producti; & R. deo Angelus motor est tantum in ea parte, ubi primo incipit operari & movere. Ad 3. N. iterum Sequelam; quia tunc Angelus quiescit in loco, quando non movetur ad alium locum; non movetur autem, quando circa idem operatur.

ARTICULUS II.

Consecraria præcedentis doctrine.

EX dictis (Ibid.) in superiori art. colliges 1. Angelum, quamvis sit secundum se inextensus & indivisibilis, posse tamen existere in loco extenso & divisibili, majori vel minori, intra sphaeram suæ activitatis; sicut anima secundum se inextensa existit in corpore extenso, quia Angelus est in loco per applicationem seu virtutis operantis, quæ post producere effectum in loco extenso majori vel minori pro libitu intra sphaeram suæ activitatis. Est ergo virtus Angelica secundum se formaliter indivisibilis, sed virtualiter divisibilis. (Ibid.) Colliges 2. unum Angelum non posse naturaliter esse simul in duobus locis adequatis; quia, cum sit in loco per operationem, locus ille est adequatus Angeli, qui totam ejus virtutem operantem adequat & exhaurit: ergo implicat, quod sit naturaliter in duobus locis adequatis: alioquin quilibet foret adequatus, ut supponitur, & non foret, quia Angelus ultra illum operaretur, & operando se extenderet. Dixi. Naturaliter; quia supernaturaliter potest Angelus esse in pluribus locis suæ virtutis naturaliter. Billuart. Pars Prima.

li' adequatis; quia potest augeri supernaturaliter virtus ejus operativa. Colliges 3. Angelum posse esse simul in pluribus locis inadequatis etiam distantibus intra sphaeram suæ activitatis non existendo in medio, v. gr. in quatuor angulis unius aule non existendo in medio; quia potest operari in quatuor angulis, non operando in medio.

Dices cum Joanne a S. Th. juxta Auctorem hic q. 51. art. 2. Angelus non potest esse in pluribus locis, ut plura sunt; atqui, si posset esse in pluribus locis distantibus, non existendo in medio, esset in pluribus locis ut plura sunt; quia ista loca distantia non forent unum entitativè, cum realiter distinguerentur; neque continuativè, quia essent divisa; neque ordine, quia non derivaretur operatio ab uno ad aliud, sed in utrumque Angelus aequaliter, & disparatè virtutem suam diffunderet: ergo, R. D. Min. esset in pluribus locis, ut plura sunt materialiter, C. ut plura sunt formaliter in ratione loci, N. quia ille locus dicitur unus respectu Angeli, qui correspondet ejus virtuti operative intra sphaeram suæ activitatis: unde S. Th. a quo hæc obiectio petitur q. 52. seq. art. 2. g. dicit, quod totum corpus, cui per suam virtutem applicatur Angelus, correspondet ei ut unus locus: & infra in resp. ad obiecta: *totum illud, cui immediatè applicatur virtus Angeli, comparatur ut unus locus, licet non sit continuum:* sic legitur in pluribus Editionibus, & sic videtur legendum, non, ut habent quædam Editiones, *licet sit continuum.*

Dices 2. Si Angelus posset esse simul in pluribus locis inadequatis inter se distantibus, & non in medio, poterit in quacumque distantia, ut simul esse possit in Oriente, & in Occidente, in cælo & in terra; quod nullus concedit, quia virtus Angeli habet certos limites: ergo. Prob. sequela. Suppono, quod sphaera activitatis Angeli sit una leuca, & occupet mediam leucam in Oriente, alteram mediam in Occidente, ista loca erunt inadequata, sicut ex illis integrabitur unus locus totalis respondeas virtuti Angeli, non secus ac si esset parva distantia, nihil enim videtur referre, sine parva, vel magna distantia: ergo R. N. sequelam. Ad Prob. D. Ant. Erunt loca inadequata, & intra sphaeram virtutis Angeli, N. & extra sphaeram virtutis ejus, C. & N. Conseq. Si enim, ut supponit obiectio, sphaera adequata Angeli sit una leuca, quamvis partes spatii, quæ occupantur in Oriente & Occidente, non excederent in se quantitatem leucæ, & sic in se forent loca inadequata, excederent tamen continuitatem unius leucæ, ideoque excederent sphaeram activitatis Angeli, quæ limitatur ad spatium unius leucæ; unde non possent habere rationem unius loci respectu virtutis Angeli, sicut haberent quatuor extremitates unius leucæ, sicut negandum est, quod assumitur, nihil referre, sine parva aut magna distantia.

Dices 3. Concipi non potest, quomodo Angelus possit esse in quatuor angulis unius aule, absque eo quod sit in medio, nisi sit a se divisus, non secundum partes quia non habet, sed secundum se totum: ergo. R. ut huic inconvenienti occurrat Doctus Sylvius dicit, sic intelligendam esse hanc Angeli positionem, ut non sit quidem in medio, ut in loco formaliter, quia in eo non operatur, sit tamen in medio materialiter ut res in re, & pars in toto, sicut explicuimus supra. Verum esto, ita esse possit; id tamen non videtur necessario concedendum, si quidem ex fide habeamus, quod Corpus Christi sit in diversis hostiis distantibus, absque eo quod existat, etiam materialiter in medio; similiter quod possit esse in extremitatibus ejusdem hostiæ, & non in medio etiam materialiter, si medium sit corruptum; nec tamen Corpus Christi est a se divisum, sive secundum partes, sive secundum se totum. Hæc & similia quidem non capit imaginatio; quia, ut dictum est ex S. Th. imaginatio continuum non transcendit, sed, ut etiam moruimus, corrigenda est imaginatio per fidem, vel rationem: hic autem ratio dicit, quod, cum substantia spiritalis sit in loco per liberam operationem, possit operari in una parte spatii, & non in altera.

Colliges 4. plures (Ibid. art. 3.) Angelos non posse in eodem loco formali & adequato, bene tamen in eodem loco materiali, aut etiam formali inadequato.

Prob. (Ibid.) 1. pars: Unus & idem effectus non potest procedere à duabus causis totalibus, & adequatis ejusdem ordinis, alioquin forent totales, & non totales, ut probatur in Physica; atqui, si plures Angeli essent in eodem loco formali & adequato, idem effectus procederet à duabus causis totalibus, & adequatis ejusdem ordinis: ergo. Prob. Min. Angelus est in loco formali & adequato, quatenus operatur in eo effectum suæ virtutis adequatum: ergo, si plures Angeli essent in eodem loco formali & adequato, idem effectus esset à pluribus causis totalibus, & adequatis ejusdem ordinis. Prob. 2. pars. Plures Angelos esse in eodem loco materiali est producere in eodem corpore plures diversos effectus, ita ut sit quidem in eodem corpore, quod dicitur locus, sed non sint ibi formaliter per ea-

Na 2 dem

dem rationem seu operationem; atqui Angeli possunt in eodem corpore producere diversos effectus, ut si in aere unus producat lucem, alter motum: ergo.

Prob. (*Ibid.*) 3. pars. Possunt plures Angeli circa eundem effectum attemperare suum concursum, & ad illum concurrere partialiter, ita ut locus respectu singulorum sit inadæquatus; quod contingit videtur illi energumeno, in quo Scriptura Marci 5. narrat fuisse legionem demonum, & respectu Christi, cui propter reverentiam ejus plures Angeli ministrabant. Rarius tamen & non nisi propter specialem aliquam rationem id contingit in bonis Angelis; quia, cum sint agentia perfecta & sufficientia ad suos effectus, regulariter illos perfecte & non partialiter producant, unde non ponitur nisi una intelligentia motrix pro uno crelo. Secus autem in Angelis malis, qui, cum non nisi confusionem appetant, congruum tertium ordinem amant invertere.

Colliges 5. quod, si strictè loquamur, Angelus non sit proprie in loco, sed improprie tantum; quia, strictè & philosophicè loquendo, ille solus locus est proprie dictus, qui circumscriptivè continet locatum, quod non competit Angelis, qui sunt in loco potius continendo & sibi subijciendo locum per operationem, quam continendo ab eo. Si tamen loquamur generaliter de loco, ita ut id dicatur esse in loco, quod est realiter & substantialiter præsens loco, sic verè & proprie Angeli sunt in loco. Unde rectè observavit Auctor, esse in loco dici æquivocè de Angelo & de corpore. (*Q. 52. art. 1. o. & q. 53. art. 1. o.*)

ARTICULUS III.

De motu locali Angelorum.

Quæ spectant motum localem Angelorum, spontè fiunt sicut præcedentia consecutaria ex eodem posito principio, quod Angelis sint in loco per operationem. Undè breviter dico 1. Angeli (*Q. 53. art. 1. o.*) possunt moveri localiter quia motus localis Angelorum nihil est aliud, quam diversi contactus diversorum locorum, non simul, sed successivè; atqui Angeli, cum non sint ubique, possunt diversa loca successivè contingere: ergo moveri localiter. Idque aperit tradit Scriptura: sic Math. 28. Angelus Domini descendit de Cælo. Luc. 24. Missus est Angelus Gabriel ad Virginem. Matth. 4. Angeli accesserunt & ministrabant ei. Job. 1. & 2. Sathan dicitur circumvisi terram et perambulavit eam: alibi pluries.

Notandum (*Ibid. et ad 2.*) tamen, quod, quia moveri loco sequitur ad esse in loco, idè eodem modo convenit Angelo moveri loco, sicut esse in loco, & utrumque est æquivocè respectu corporalium. Undè, strictè loquendo, motus localis non convenit proprie Angelo; quia strictè & philosophicè loquendo motus est actus entis in potentia, consequenter actus imperfecti, quod non convenit Angelo, quia motus, qui est secundum applicationem virtutis, est existentis in actu; virtus namque rei est secundum quod est actu. Si tamen loquamur generaliter de motu locali, prout moveri localiter est idem, quod mutare locum, sic Angelus proprie movetur localiter, quia revera mutat locum, operando modo in uno, modo in alio.

Dico 2. Angeli (*Ibid. o.*) possunt moveri motu continuo, vel discreto; quia moveri localiter motu continuo est deserere terminum a quo, seu locum occupatum successivè per partes: moveri motu discreto est deserere simul, & non successivè, totum terminum a quo, & statim acquirere totum terminum ad quem: atqui Angelus, cum sit in loco per operationem liberam, potest successivè per partes deserere locum, in quo est, desinendo successivè operari in partibus, & pariter terminum ad quem acquirere: potest etiam deserere simul totum locum, quem occupat, desinendo simul totaliter in eo operari, & statim applicare virtutem ad terminum ad quem: ut si v. gr. sit in hac civitate, post per partes successivè deserere illam, & per partes occupare agrum vicinum, desinendo operari successivè in civitate, & operando successivè in agro. Potest etiam simul & semel desinere operari in tota civitate, & statim applicare virtutem suam ad totum agrum vicinum, sicut simul & semel desere totam civitatem, & statim simul & semel occupare totum agrum.

Dico 3. Angelus (*Ibid. art. 2. o. in 1. d. 27. p. 4. art. 2. et quodlib. 1. art. 5.*) potest transire motu discreto ab uno extremo ad aliud, non transeundo per medium. Hic iterum relictur imaginatio; quia, ut dictum est, continuum non transcendit & non apprehendit spiritalia nisi ad modum corporalium. Dimittitur ergo iterum imaginatio, & sola ratio audiat. Docet autem ratio, quod, cum Angelus sit in loco per liberam operationem, quæ a loco non pendet, sed facit locum a se dependere, possit operari in uno loco, puta in extremitate hujus axe, & statim operari in extremitate opposita, non operando in medio, & sic transire ab una extremitate ad aliam, non transeundo per medium. Confirmatur: Corpus existens in Cælo sit præsens in terra hostiæ consecrate, & non corporibus inter-

mediis, sicut veluti transit a Cælo in terram non transeundo per medium; idque quidem supernaturaliter, quia habet supernaturaliter, quod in Sacramento existat ad modum spiritus; atqui Angelus, cum sit naturaliter spiritalis, non solum, quod modum, sed etiam quoad substantiam, habet naturaliter, quod Corpus Christi habet supernaturaliter: ergo potest naturaliter transire ab uno loco ad aliud, non pertransito medio. Salfem inde evincitur, quod non implicet, neque sit intelligibile, ut volunt adversarii, angelum transire de loco in locum, non pertransito medio, siquidem id non implicet in corpore.

Dices 1. Angelus non potest transire de præterito ad futurum, quin transeat per præsens: ergo non potest transire de uno extremo in aliud, nisi transeat per medium. A pari. R. N. Conseq. Disparitas est, quod in tempore neque præteritum, neque futurum, sed solum præsens existat; sicut Angelus non potest eligere nisi præsens ut coexistat. At verò omnes partes spatii existunt, & idè Angelus, qui est in loco, independenter ab ejus conditionibus & per liberam operationem, potest eligere, quam voluerit partem, ut in ea existat. Undè, sicut non valet: Corpus Christi non potest transire de præterito ad futurum, nisi per præsens: ergo neque potest transire a Cælo ad terram, nisi per medium aërem; ita nec argumentum factum.

Dices 2. Anima non potest informare extremas partes corporis non informando medias: ergo nec Angelus transire ab uno loco ad aliud, non transeundo per medium. R. N. iterum Conseq. Disparitas est, quod anima uniat corpori ut forma materię, proindeque non liberè, neque independenter a dispositionibus requisitis ad talem unionem, quarum præcipua est colligatio, & continuitas partium. At Angelus uniat loco liberè, ut motor mobili independenter ab ejus dispositionibus, idèque potest independenter a partibus mediis se applicare extremis.

Dices 3. In omni motu prius est moveri, quam mutatum esse; atqui in nostra sententia Angelus non moveretur: non enim movetur in termino a quo, quia, quandiu in illo est, non recedit; neque in termino ad quem, quia in illo quiescit: ergo necessario debet dari medium, in quo percurrente movetur, (*Hic cit. ad 3.*) R. D. Ant. In omni motu continuo prius est moveri, quam mutatum esse, C. Quia in motu continuo mutatum esse non est pars motus, sed terminus. In motu discreto, N. Quia in motu discreto mutatum esse est pars motus, unde successio diversorum locorum etiam sine medio constituit talem motum. Dicendum itaque, quod Angelus movetur inchoativè in termino a quo, & consummativè in termino ad quem; cum enim ejus motus discretus perficiatur duplici instanti, ut modo dicam, instans, quo ultimo operatur in termino a quo, est initium viæ & motus; alius instans immediatè sequens, quo 1. operatur in termino ad quem, est consummativè viæ & motus.

Dices 4. Si Angelus possit moveri ab uno loco ad aliud independenter a medio, poterit transire ad locum, quantumcumque etiam infinite distans: hoc ipso enim, quo mobile non pendet a medio, & ejus resistens vincere non tenetur, ut acquirat terminum, eadem est ratio magnæ & parvæ distantię; atqui falsum Consequens, alioquin illimitata foret activitatis Angelicæ sphaera: ergo. (*Ibid. ad 1. R. Data Majori*, intellecta tamen de quacumque distantia finita, non infinita, non enim datur, nec dari potest infinita, N. Min. & ejus probatio, nem; quia, quod Angelus possit ad quantumcumque distantiam transire, non attenditur secundum quantitatem virtutis ejus, sed secundum superioritatem ejus ad locum & independantiam a commensuratione loci, in qua omnes Spiritus conveniunt, consequenter secundum determinationem ipsius voluntatis; sicut enim, si vi Angelus, cessando ab omni operatione virtualiter transeunte, ab omni loco se absolvet, posset in quocumque loco vellet, se constituere; ita deserendo totaliter locum, in quo est, potest in quocumque alio se collocare. Aliud esset, si inadæquate remanens in priori loco vellet alium quantumcumque distantem etiam inadæquate attingere; tunc enim attenderet sphaera activitatis, nec posset ultra illam extendi, ut diximus Art. præced.

Dico 4. Motus Angelus non fit in instanti. (*Ibid. ad 3.*) Nota. Intelligitur hic motus proprie dictus, prout est transitus inter terminos positivos, & distinguitur a simplici mutatione, quæ potest esse instantanea, dum fit de non esse ad esse, aut e contra, qualis est v. gr. illuminatio aëris, quæ est a privatione ad lucem. Item sumitur hic instans non pro instanti temporis, sed pro instanti temporis Angelus, quod multiplicat penes operationes Angelicas, ita ut duo instantia Angelica sibi immediatè succedere possint, quod non contingit in nostro tempore, quod constat partibus & instantibus. His notatis,

Prob. Concl. & 1. part. de motu continuo Angelus; quia Angelus movetur motu continuo, deserendo terminum a quo successivè per partes; quod constat fieri non posse in instanti. Prob. de motu discreto: ad motum discretum Angelus non suffi-

cit acquisitio novi loci; quia, si Angelus de novo crearetur, acquireret novum locum, & tamen non moveretur; sed insuper requiritur derelictio prioris loci; motus enim, ut dixi, duo extrema positiva importat, unum quod derelinquitur, aliud quod acquiritur: ergo requiruntur duæ operationes, altera qua Angelus prius sit in loco, qui relinquitur; altera, qua sit posterius in loco, qui acquiritur: ergo duo instantia prius & posterius temporis Angelici sibi immediatè succedentia, quorum primum respondet parti nostri temporis, posterius instanti.

DISSERTATIO III.

DE PERTINENTIBUS AD INTELLECTUM ET VOLUNTATEM ANGELORUM.

D. Thom. a Q. 54. ad 61.

Suppono 1. Angelos, cum sint immateriales, esse intelligentes; quia, ut vidimus in Tract. de Deo, immaterialitas est radix intellectus. Aliunde constat, eos esse liberi arbitrii, cum peccaverint: ergo & intelligentes.

Suppono 2. potentiam (*Hic q. 54. art. 3. o.*) intelligendi in eis distingui ab illorum substantia; cum, ut probant nostri Thomistæ in Philosophia, nulla substantia creata sit immediatè operativa, (*Ib. art. 1. o.*) & a fortiori, quod earum actualis intellectio non sit earum substantia. Adde, quod, si substantia Angelus identificaret sibi suam intelligentiam, non enim esset ratio, cur potius identificaret sibi suum intelligere, quam suum esse aut suum velle, seu quodvis aliud accidens; sicut ad nihil foret in potentia, consequenter actus purus. Hæc constat apud omnes.

ARTICULUS I.

De medio cognitionis Angelicæ. D. Thom. Q. 55.

Per medium cognitionis Angelicæ intelligimus hic species intelligibiles, quibus mediatis objecta cognoscunt. Hæc sunt duplicis generis, impressæ & expressæ. Angelus autem cognoscunt se & alia, ut nunc supponimus. Quarum itaque, utrum indigeant speciebus ad se & alia se cognoscenda, & unde illas habeant.

§. I. Utrum Angeli indigeant speciebus, ad se & alia se cognoscendum?

Dico 1. Angelus (*Hic q. 56. art. 1. o.*) ad se cognoscendum non indiget specie intelligibili, sed seipsum cognoscit per suam substantiam gerentem vices speciei impressæ. Quia species impressa objecti vicaria non est necessaria, nisi ut objectum, quod est extra intellectum, fiat illi intus præsens, id est, quod est materiale, fiat immateriale, immaterialitate ejusdem ordinis cum intellectu intelligente; si namque objectum ex se sit intus præsens intellectui in esse intelligibili, superflua est species, ut latè dixi in Tract. de Deo, Dissert. de visione Dei; atqui substantia Angelus est intus præsens suo intellectui: & immaterialis immaterialitate ejusdem ordinis cum illo, ut patet: ergo.

Dices. Si Angelus se cognosceret per suam substantiam gerentem vices speciei impressæ, sequeretur 1. quod substantia esset immediatè operativa, quia species concurrir cum intellectu ad intellectionem, quod non admittunt Thomistæ, ut dicebamus modò. 2. Quod substantia foret forma inherens; quia de ratione speciei est, quod inherendo intellectum informat; & hoc implicat. 3. Quod anima nostra seipsam per suam substantiam intelligeret, quia est immaterialis & intus unita intellectui, scilicet ut essentia proprietatis: & hoc nullus admittit. 4. Quod unus Angelus cognosceret alium vel per propriam substantiam, vel per substantiam alterius, quia utriusque substantia est immaterialis; & unus alteri potest uniri: & hoc iterum negatur communiter. 5. Quod substantia esset simul radix & forma intellectus, quod videtur implicare: ergo. R. Ad 1. N. Sequelam; species enim non concurrir ad intellectionem immediatè, sed mediatè tantum, mediante scilicet intellectu, quatenus illum determinat ad eliciendum talem intellectionem. (*Ibid.*) Ad 2. N. pariter Sequelam; quia non est de ratione speciei quia species est, quod inherat, sed præcisè quod representet objectum, sive inherat, sive non: quod autem inherat, hoc ipsi contingit, quia est accidens. Ad 3. N. etiam Sequelam; quia anima nostra in hoc statu conjunctionis ad corpus dependet a cognoscendo a phantasmatibus: unde non est

Confirmatur. (*Ibid.*) De ratione motus est, quod mobile, quando movetur, alio & alio modo se habeat; id autem fieri non potest sub unico instanti: ergo assignandum est unum instantis prius, in quo ultimo fuit in priori loco; & aliud instantis posterius, in quo est in termino ad quem. Cæterum, quoniam motus discretus Angelorum uno instanti non perficitur, duo tamen instantia sufficiunt, unde velocissimè moventur; quia de causa communiter pinguntur alati.

præsens suo intellectui in ratione objecti intelligibilis, nisi per speciem haustam a sensibus. Ad 4. N. iterum Sequelam: quia unus Angelus non potest illi intra essentiam, seu intellectum alterius Angelus, cum id juxta SS. PP. & Theologos sit soli Deo proprium: aliquid enim illi substantiæ spiritali esse esse intra terminos ejus essentia per operationem, vel dando & conservando ei esse, vel ejus potentias operativas immutandos solus autem Deus dat & conservat esse substantiis spiritalibus per creationem; & cum illarum potentia, scilicet intellectus & voluntas, sint universales in operando, intellectus enim respicit omne verum, & voluntas omne bonum; ita soli Deo Auctori suo, qui est agens universalissimum, subditur. Ad 5. R. quod substantia Angelus sit simul radix & forma sui intellectus in diverso ordine, quod non implicat: est radix in ordine essendi, forma in ordine intelligendi.

Ex dictis colliges, Angelum etiam per suam substantiam cognoscere Deum. Si enim homo per naturalia assurgit ad cognitionem Dei, ut dicit Apostolus ad Rom. 1. quanto magis Angelus? Et ratio est; quia causa cognoscitur in effectu, & exemplar in similitudine; atqui Angelus est effectus Dei, & ejus similitudo perfectior, quam homo: ergo.

Si petas, utrum substantia Angelus gerat etiam vices speciei expressæ in sui cognitione? R. probabilis & communis negativè. (*4. c. g. c. 11.*) Quia, quantumvis substantia Angelus sit secundum se intelligibilis, quia immaterialis; non est tamen in tanto gradu immaterialitatis, ut sit actu intellecta, sicut diximus de essentia Dei in Tract. de Deo, Dissert. 4. Undè ad hoc requiritur species expressa.

Dico 2. Angelus (*Hic q. 55. art. 1. o.*) non cognoscit alia a se per suam substantiam, sed ad hoc indiget speciebus impressis. (*Ibid.*) Prob. ad cognitionem alicujus objecti requiritur, ut jam dictum est, quod objectum sit intus præsens intellectui in esse intelligibili, sive per se, sive per speciem illius representativam, juxta illud Aug. communiter receptum: *Ex objecto et potentia paritur notitia*; atqui entia creata non possunt esse intus præsentia intellectui Angelico per se, seu in sua entitate. Neque substantia Angelus potest esse species representativa illorum: ergo. Min. pro 1. parte patet ex se & ex dictis in solutione præc. arg. Prob. 2. pars; ut unum aliud representet, debet esse vel ejus similitudo, vel effectus, vel causa illud adæquate continens, non enim est alius modus assignabilis; atqui substantia Angelus non est similitudo aliorum a se entium; tunc quia est determinata ad certum genus & speciem, quia ab omnibus aliis differt; tunc quia non est instituta, ut representet sicut species intentionalis, sed, ut sit: neque est effectus aliorum entium, ut patet: neque etiam est illorum causa, saltè adæquate. Et 1. nullatenus est causa eorum, quæ per creationem sunt, ut sunt substantiæ spirituales, & in corporalibus ipsa materia: quod si ad aliquas formas concurrant Angeli, non inmediate, nec adæquate, sed tantum per motum localem applicando activa passivis: ergo, quantumvis eorum substantia penetraret, non possunt in ea ut in causa distinctè cognosci alia entia, quippe quæ cum in illa adæquate & distinctè non continentur, ita nec in illa relucere possunt.

§. II. Utrum species, quibus Angelus cognoscit alia a se, sint a rebus acceptæ, an congenitæ, et connaturales?

Dico: Species Angelorum non sunt a rebus acceptæ, sed a Deo in sui creatione inditæ, & idè connaturales, & congenitæ. (*Ibid. art. 2. o. et 2. c. g. c. 96.*)

Prob. 1. auctoritate. Ezech. 28. de Luciferò dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus deco-*